

te deducendi veniunt *Hermunduri*, omninò extendendi horum limites ad juga *Gigantea* sunt *Silesia*. Propè vallem enim, dictam *Teufelsgrund*/haud ita procul *Schmidebergâ* *Albis* oritur. Deinde nulla est connexio viciniaq; inter *Albis* scaturigines & *Egra*. Ille orientem, hæ meridie respiciunt; Illæ in *Silesia*, hæ in *Nariscis*; illæ cornua *Gigantum*, hæ *Piniferi* infana juga spectant. Mensibus Augusto & Sept. A. 1686. iter illac fecimus, fontesq; fluminis *Egrani* è *Pinifero* ad *Heidam* defluentis, salutavimq; itinere ad thermas *Carolinas*. Rationem additam examinemus nunc: *Hæ terra procul ab Halis sunt Saxonis*. Si de utriusq; fluminis expositâ origine hæc capias, rectissimè! sed si de *Sala*, minimè. Ponamus tamen interim, certamen populorum de *Salinis* contigisse in *Elbogano* tractu, thermis dictis *Carolinis* vicinissimo; an illic, *Cattos* cum *Hermunduris* certasse, affirmabimus commodiùs?

§. XIX. Unicus nos malè adhuc habet scrupulus, quem eximemus. Provocatur nempe ad *Agricolam*, qui lib. 3. fossil. In *Elbogano* propè *Schönbachium* palustrem scaturiginem per exiguam de sale canescere, æstivo tempore; quæ olim fortè fluminis *justi* nomen mereretur. Nollem, egomet prodigere tam levi conjecturâ fidem. Quæ enim consequentia? In *Elbogano* per exigua palustris scaturigo falsa. Ergo fortè olim *justi* fluminis implevit ibi nomen. Quæro, ubi fuerit, aut hodièq; sit in *Elbogano* tractu, præter *Egram* atq; *Töplam*, flumen *justi* nominis? Ego equidem, cum isthac viâ proficiscerer, in itu redituq; haud observare potui; nec ullus hactenus mortalium. Deinde non in *Elbogano*, (cujus caput dicitur *Fabricio Ancona*, ut *Hellobigium Aventino*), sed *Egrano* tractu salis scaturigo per exigua occurrit. Hinc *Acidula Egrana*. De his autem nec bella-